

CAPUT VIGESIMVM SECUNDVM.

- 1 In lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernatione illius.
- 2 De stercore boum lapidatus est piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus.



Vobis hi versus obscuritatem magnam habent in nostra lectione, quae cum non videantur habere commodum aliquem literalem sensum, nostri ferè ad mysticos confundunt sensus, sed parum solidos. Græca commodum & iucundum habent sensum, quæ sic verti possunt; Lapii conspurcato comparatus est piger, & omnis sibilat super ignominia eius. Stercori boum comparatus est piger, omnis qui tollit illud, excutiet manum. Quibus sententijs significatur vilitas, contemptus, & sordities hominis pigri, comparaturque & lapidi, luto vel alia quauis re commaculato, & stercori boum, quod sicut haec abiecta sunt & fœda, ac ob eorum fœditatem nemo ea dignatur contingere, aut si contigerit, statim ea abiicit, & excutit manus suas ab eis: ita & cordatus quisque pigri hominis socordiam detestatur, nec dignatur cum eo communicare, aut negotiū aliquod ei committere, sciens se ab illo conspurcandum, & notam aliquam atque ignominiam vel damnum se contracturum, si ei sua commiserit, iuxta illud quod est in Proverb. Sicut

Prou. 10. acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his qui miserunt eum. Noster interpres dictionem Græcam συνέλαβε, à verbo συμβάλλω, quod significat saepè comparo & confero, vertit lapidatus est, quasi legerit γε το βλάβη, à verbo γε τεβάλλω, quod significat aliquando telis vel lapidis aliquem impetere. Ut autem nostra lectio proximè accedat ad originalem intelligentiam, hic sensus reddi potest; Piger lapidatus est lapide lutofo aut stercore boum: siue quia dignus est qui huiusmodi sordibus impetratur & conspurcetur, siue potius quia per suam socordiam ita est commaculatus, ac si lapide lutofo aut stercore boum esset impeditus. Proinde sicut omnes cum risu loquerentur de eo qui tam fœdis rebus esset conspersus & conspurcatus, & qui tales contigissent, mox a sordibus cōtractis excuteret manus suas: ita omnes cordati de pigri aspernatione & vilitate loquentur cum detestatione, eius commercium fugient: & si quid ei commiserint curandum, idipsum mox manibus eius subtrahent, seque ab eis eximent. Merito autem tantopere Sapiens & hoc loco & alijs, quemadmodum & Salomon saepè in Proverbij, pigros detestatur, tum quod tales nec sibi nec alijs sint utiles, tum quod tales ferè graibus vitijs sint contaminati. Multa enim malitiam docet otiositas, ut infra dicitur cap. 33. Qui sensum mysticum in his sententijs requirit, legat Rabanū & alios. D. Gregorius simplicius quam quidam secundam sententiam tractat mysticè, scribens in 20. caput Iob. cap. 3. Gaudia,

Gaudia, inquit, præsentis vitæ, quæ iniusti æstiment magna bona, iusti stercora deputant. Vnde scriptum est : De stercore boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrebit. Et quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimisimum affligitur, quæ iusti viri velut stercora contemnunt. Hæc illæ. Quid ad lectionem attinet, cum quidam libri habeant, super aspernationem; alij super aspernatione, meritò posterior lectio est præferenda, quod conuenientiorem habeat sensum, & Græcis consentiat. Per lapidem luteum, intelligendum esse non lapidem ex luto factum, sed luto immersum & commaculatum, patet ex prædictis. Græca enim habent, λίθῳ ἀγριων μή, hoc est, lapidi confusato.

3 Confusio patris est de filio indisciplinato, filia autem in deminoratione fiet.

Dedecori pigri subiungit dedecus quod ex stultis prolibus parentes contrahunt, prosequens multis sententijs in sequentibus stultitiae vituperium. Hac ergo sententia significat liberorum vitia & stultitiam redundare in parentum infamiam, vt pote quorum erat liberos educare & instituere liberaliter. Confunditur, inquit, pater, hoc est, verecundia & ignominia afficitur de filio ineruditio & male instituto; filia autem si talis sit, fiet in deminoratione, vel quia parua erit æstimationis, nec commendabilem se reddet coiugio cum elocanda erit, vel potius quia dampnum & detrimentum adferet suis parentibus, suoque marito. Solet enim hic author nomine θλαστός, quod hic Græcis est, significare detrimentum & dampnum. Cui sensui conuenit quod ex opposito sequitur in subiecta sententia. Cæterum parum refert quod in quibusdam libris addatur adiectivum, fatua, vt sit lectio: Filia autem fatua; in alijs non addatur, sicut nec est in Græcis, quia etiam si non addatur, de tali filia accipiendum est, de quali præcessit filio.

4 Filia prudens hæreditas viro suo, nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris.

Significat prudentiam filiae insignem esse dotem ipsius, eamque ob id à viro suo amandam velut hæreditatē & patrimonium, ut per quam multa commoda consequatur, & in qua se à parentibus iudicabit magna dote donatum. Contrà quæ confundit suum virum suis vitijs & stultitia sua: aut potius absolute, quæ confundit, hoc est, quæ probrosa est, & confusione res dignas facit, assert patri ignominiam tum apud omnes, tum maximè apud maritum suum, qui de ea apud patrem expostular. Pro; hæreditas viro suo; est Græcis οὐ προνομέσι τὸν πατέρα στενῶς, hoc est, hæreditabit virum suum: quo videtur significare, quod donabit virum suum hæreditate, & insigni dote. proinde recte noster vertit, hæritas est viro suo. Pro, nam, Græce est καὶ, &. Proinde impropriè hic accipi debet coniunctio illa causalis, ut tantum coniungat, & docti

CORN. IANSENII COMMENTARIA

notant apud Ciceronem & alios, nam, poni pro, autem, aut alia simili discrepativa particula.

5 Patrem & virum confundit audax, & ab impijs non minorabitur, ab utrisque autem inhonorabitur.

IN muliere ut maximè commendatur verecundia, quæ pudicitiæ custos est: ita maximè vituperatur audacia, & inverecundia, ut quæ multorum malorum & impudicitiæ causa est, ideoque andacem peculiariter dicit ignominia afficere & patrem & virum suum, quia talis etiam impijs inuenietur non esse inferior in virtutis: unde & ab utrisque, hoc est, à patre & viro suo, etiam ipsa vicissim inhonorabitur, quia cum propter eam cogantur sustinere infamia, ipsi vicissim nullo eam honore dignabuntur, contemnent eam, relinquunt, subsidia subtrahent, & iustis pœnis afficiunt. Notandum autem medium huius sententiae partem; & ab impijs non minorabitur; Græcis non esse, apud quos etiam hæc sententia bimembris tantum est.

6 Musica in luctu importuna narratio, flagella & doctrina in omni tempore sapientia.

Legendum potius sapientiæ quam sapientia. Nam & Græca habent genitium, & Rabanus sic legit, Lyranus quoque ex suo commentario sic legisse videtur. Græca tamen non habent, in omni tempore, sed tantum in tempore, hoc est, tempestiæ & oportunitate, ut opponatur illi quod dicitur in primo membro, importuna narratio. Itaque sensus Græcae lectionis est: Narratio importuna, quæ scilicet non sit loco & tempore conuenienti, etiamsi sit de re bona, & tractet quæ sunt prudentiæ, est velut musica in luctu, quia sicut hæc non est eo tempore grata, nec lætitia afficit lugentem, sed magis eius dolorem exasperat: ita & narratio aliqua non suo loco adhibita, grata & utilis non est, sed contraria potius ingrata, inutilis, & auditores magis exasperans quam instruens. Contraria vero flagella, hoc est, castigationes & doctrina tempestiæ adhibitæ, sunt sapientiæ, hoc est, à sapientia proueniunt, sicut importuna narratio à stulto. Eundem sensum habebit nostra lectio, si, in omni tempore, exponatur pro, cum omni oportunitate. Oportet enim corripere & docere volentem, omnem obseruare oportunitatem. Rabanus sic intelligit hanc sententiam, ut præconstruatur illud; Musica in luctu; & sit sensus: Læta dicere & narrare eo tempore quo est lugendum, est importunus sermo & narratio: omni vero tempore castigations & doctrinam adhibere, id pertinet ad sapientiam. Ut significetur toto huius vitæ tempore non esse vacandum læsis, sed tristibus, quia nunc tempus est non ridendi, sed flendi. Lyranus vero illud, in omni tempore, coniungit cum sapientiæ, ut sit sensus: Importuna narratio est velut musica in luctu, flagella autem & doctrina, debent in omni tempore esse sapientiæ, hoc est, debent fieri sapienter & prudenter.

Qui

7 Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam: qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno.

GRÆCIS breuius sic est; Coniungit testam qui narrat fatuo, & excitat dormientes ex graui somno. Duabus similitudinibus ostendit, quām inutilis sit plerunque labor qui impenditur docendis stultis, insinuans id quod dicitur in Proverbijs: In auribus insipientium ne loquaris. & Vbi non est auditus, non effundas sermonem. Qui, inquit, docet fatuum, similis est ei qui inutilem operam assumit, ut confraetæ testæ partes conglutinet & coniungat. Nam ut difficile est confraetam testam sic conglutinare, ut rursum liquorem contineat & conservet: ita difficile est fatuum, qui suprà vasi contracto comparatur, sic instituere & formare, ut sapientiam admittat, aut auditam conferueret. Rursum qui sapientiæ sermonem narrat non attendenti ad illum, nec audiēt audienti, similis est ei qui dormientem excitat de graui somno. Nam ut is frustra multa dicit ei qui somno graui oppressus nec excitantem audit, aut si audit, imperfecte audit, ita ut a somno superatus relabatur ad dormiendum: sic & frustra stulto multa dicuntur, qui omnino dormienti similis est, quod aliis occupatus non aduertit ad ea quæ sapienter dicuntur, sed velut stupidus est ad ea & somnolentus. vnde & sequitur:

8 Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam: & in fine narrationis dicet, quis est hic?

RECTE dormienti comparatur stultus, imò dormiens dicitur, quia vt sensus exteriores ligantur in dormientibus, ita iudicium & intellectus in stultis: & quemadmodum dormientes tantum vanis somniis occupantur, quibus miserè illuduntur, ita & fatui rebus vanis tanquam veris inhærent, à quibus se postea miserè deceptos sentient. Qui ergo narrat stulto quæ sunt sapientiæ, loquitur cum dormiente: quia cum eo qui impeditus non attendit, qui proinde, sicut solent dormientes dum compellantur & excitantur, post multa verba dicere: quis est hic qui loquitur, & qui me excitat? ita & stultus post longum sermonem ad se habitum, ita se geret quasi nihil audisset, & quasi nec attendisset quidem quis sit locutus, dicens: quis est hic qui loquitur, aut quid est quod dicitur? Nam Græcè non est; quis est hic? sed quid est? Huius indocilitatis exemplum habemus Actuum 17. Act. 17. in philosophis Atheniensibus, qui cùm Paulum de resurrectione concionantem audiuisserint, eius doctrinam aut irridebant, aut iterum audire volebant. Cùm ergo tam deplorata sit institutio & correctio imprudentium multorum, recte subiungit.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

9. Super mortuum plora, defecit enim lux eius: & super fatuum
plora, defecit enim sensu.

Stultus quis sit de-
ratur
Lectoris varietas
Defecit per scripturam
magis
scripturam
Significat quod quemadmodum iusta de causa ploratur super mor-
tuum, eò quod lux oculorum eius, & omnium sensuum exteriorum
in eo defecerit, aut quia defecit ei lux solis qua prius fruebatur, hoc est,
quia in eo defecit vita ista corporalis: ita etiam plorandum est super fa-
tuum, quia deficit sensu, hoc est, intelligentia & prudentia. Imo signi-
ficat super hunc magis & maiori iure plorandum, quod plus fit deficere
mente quam luce corporali. Significat etiam hac comparatione, fatuum
similem esse mortuo, ut qui destitutus sit vita, quae homini propria est
per sapientiam & prudentiam. Stultum autem hic, ut & in Proverbiis,
vocat eum qui Dei timore caret, & rebus huius mundi vanis totus est
addictus. Porro quod ad lectionem attinet, Rabanus legit in secun-
do membro; Deficit enim sensus eius; quomodo & scripta quædam
habent. Et Græcis in æditione Complutensi est σύντοιχος, hoc est, sen-
sus vel prudentia. Alia tamen æditio habet σύντοιχη, ut subaudias γρ. τὸ δ,
Defecit enim secundum sensum, hoc est, ut noster vertit, sensu. Utro-
bique autem legendum per praeteritum, defecit, docent & scripta cor-
reliora, & Græca, quæ habent οἰκλίπεια.

10. Modicum plora super mortuum quoniam requieuit, nequissi-
mi enim nequissima vita, super mortem fatui.

Secundam partem breuius Græca sic habent; fatui enim super mor-
tem vita; hoc est, vita eius morte deterior est, vel magis est deplo-
randa quam mors. Vnde & nostra litera sic est accipienda; Ideo dico,
modicū plora super mortuum, quia nequissima vita hominis nequissimi
est deploranda magis quam mors eiusdem fatui hominis, ut per fatuum
& nequissimum, hoc est impium, idem intelligatur. Modicum autem
dicit plorandum super mortuum, quia mors illa suam consolationem
secum adfert, quoniam scilicet per eam homo secundum corpus requie-
scit ab omnibus laboribus & doloribus huius vitæ. Quædam scripta
plus habent in hunc modum: Modicum plora super mortuum quoniam
requieuit, plurimū verò super vitam fatui. Nequissimi enim &c. sed
Græca medium illam partem non habent, Germanicum exemplar non
habet τὰς, enim, sed τὰ, autem, & habet τὴν πονηρὰ, vita mala.

11. Luctus mortui septem dies, fatui autem & impij omnes dies vita
illorum.

Expli-
cat hæc sententia superiore, tribuitque luctui mortui septem
dies, non quod non licet diutius mortuum lugere, cùm de Iacob
Gene. 50. scriptum sit, quod eum planxerit Ægyptus septuaginta diebus: de Aa-
Deut. 34.
Num. 20. ron & Moysè, quod eos planxerint Israélitæ triginta diebus, sed quod
satis sit septem diebus, hoc est, vna hebdomada super mortuum lugere,
tot sci-

tot scilicet diebus quot solebant celebrare nuptialem l&etitiam, vt patet Gene. 29. & Tobiæ 11. quot etiam diebus planxerunt A&gyptij & Israëli. l&itae Iacob patriarcha cùm iam sepeliendus esset, vt est Genes. 50. quod exemplum verisimile est authoris tempore fuisse secutos Iudæos. vnde & apud nos seruatur mos celebrandi septenarium vt dicitur. Dicit ergo luctus mortui septem dies, hoc est, satis est si septem diebus peragatur luctus mortui: at luctus fatui & impij, hoc est, luctus qui de eis eis habendus, omnes dies vitæ illorum, hoc est, omnes dies vitæ illorum sunt plangendi & deflendi, quod semper & sibi & alijs sint inutiles & noxijs, & insuper quod quo tempore sanari poterant, insanabiles se præbeant. Vnde subiungit:

- 12 Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris.
 13 Serua te ab illo, vt non molestiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius.
 14 Deflecte ab illo, & inuenies requiem, & nō accidiaberis in stultitia illius.

Postquam ostendit stultos esse incorrigibiles, recte iam subiungit mentionem qua ab eorum consortio & familiaritate dehortatur, monens primùm vt nec familiariter cum talibus sermones misceantur, nec cum eis eatur in viam, sed ab eis quisque se subtrahat, tum vt ne molestiam aliquam ferat ab eis dum eorum improbos mores pati cogetur, tum vt ne illorum vitijs coinquinetur, ita vt ex coniunctu similis ei efficiatur, aut saltem in suspicionem apud plurimos veniat cum propriæ famæ l&efione. Tales enim ferè vel sumus vel existimamur, quales sunt hi cum quibus versamur ac viuimus. A malis ergo qui abstinet, inuenit requiem, quia illorum improbitate non affligitur, nec in periculum aliquod ex eorum coniunctu prolabitur, nec propter illorum stultitiam mœrore atque tristitia torquetur. Hoc est enim quod dicitur; non accidiaberis in stultitia illius.

- 15 Super plumbum quid grauabitur? & quod illi aliud nomen quam stultus?

Sensus est; Plumbo, quod inter grauissima primum numeratur, quid est grauius? nihil sane aliud magis quam id cui nomē est, stultus. Hac ergo comparatione significatur, mores imprudentis hominis esse intolerabiles planè & summè molestos, eiq; qui cum tali conuersatur adferre grauia mala atque incommoda. Cui simile est quod est in Proverbijs: Prou. 37. Graue est saxum & onerosa arena, sed ira stulti utroque grauior. Parabolicam hanc sententiam sequens sententia explicat:

- 16 Arenam & salem & massam ferri facilis est ferre, quam hominem imprudentem & fatuum & impium.

CORN. JANSENII COMMENTARIA

ADduntur plumbo & alia tria valde grauia, quo significetur omnibus grauibus stultum esse molestiorem. Illa enim tantum corpus grauant, hic verò animum: & illa facilè excutiuntur, ab hoc verò non ita se quis facilè liberare potest. Inter cæteras autem molestias quas de se imprudens præbet, est quod nihil rectum esse putat, nisi quod ipse facit, quodque, cùm omnia reprehendat, admoneri tamen se non patitur. Deinde quod per eum homo in multa incommoda sëpe pertrahatur.

17 Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij non dissoluetur, sic & cor confirmatum in cogitatione consilij: cogitatus sensati in omni tempore metu non deprauabitur.

Diligenter hic & in sequentibus habenda est ratio lectionis, quæ in scriptis & in impressis valde variat. Parum facit ad lectionis integratem siue legatur, Sicut loramentum, ut multa scripta habent, siue legatur sine nota similitudinis, quam alia non habent, sicut nec Græca, quia etiamsi non legatur, subaudienda est. Loramentum etsi propriè connexionem quæ loro fit significet, hic tamen generaliter connexionem significat, sicut & Græca dictio ἡμέτεροι, quæ deriuatur ἀπὸ τοῦ, quod est lorū. Vnde additur ligneum, ut intelligatur de apta connexione lignorum inter se, quæ non loris fit, sed apta lignorum cōpositione, inter se ligneis clavis cohærentium. De fundamento ædificij non fit mentio in Græcis, sed tantum est οἰκοδομὴ, hoc est, in vel ad ædificium. Vnde non videtur legendum; colligatum fundamento ædificij; sed, ut habent libri correctiores scripti; In fundamento ædificij; & fit sensus: cùm fundatur aliquod ædificium. Non enim ad firmam aliquā domus constructionem ligna colligantur fundamento, sed supra parietes erectos super fundatum, ligna inter se colligantur & compinguntur solidè, quæ sic compacta nō dissoluuntur facilè, etiamsi magnum ventorum impetum sustinere cogantur, & ab eis concutiantur. Additur enim Græcis ἡρωτισμός, in concussione. Huic ergo lignorum connexioni, quæ vi ventorum non dissoluitur, rectè comparatur cor confirmatum in cogitatione consilij, hoc est, quod in consilio capiendo solidis firmisque rationibus nititur, quia etiam in tali corde est cōnexio atque conjunctio causarum atque rerū antecedentium & consequentium: quæ connexio ita est necessaria in capiendo consilio bono, sicut in ædificatione domus est necessaria apta lignorū compactio & colligatio. Itaque sicut illa lignorum connexioni non dissoluitur etiamsi ventis cōcutiatur, ita nec tale cor à suo proposito soluetur aut deiicitur. quod sequens pars explicat & expōnit, cùm subjicitur; Cogitatus sensati vel prudentis (id enim explicat quod sit cor confirmatum) in omni tempore metu non deprauabitur; hoc est, etiamsi metu potentiae humanæ aut quorumvis incommodorum concutiatur & oppugnetur, non tamen à suo bono proposito vlo tempore deturbabitur, aut deprauabitur. Metū ergo comparat concussione domus quæ sit à tempestate ventorū. Hoc ergo quod hic dicitur, illud est quod

est quod in Psalmis dicitur de iusto: Paratū cor eius sperare in Domino, Psal. 111. confirmatum est cor eius, non cōmouebitur. Declaratū est istud in martyribus, qui in consilio suo firmi perstiterunt, ita vt nec mortis metu ab eo dimoueri potuerint. Habent quidē omnes ferē libri; in omni tēpore vel metu; sed cōiunctio, vel, vt est ad sensum superflua, imō sensui obest, ita Grēcis non est, & aliquot scripta non habebant, vnde omittendā putamus. Diligentius autē habenda est ratio verē lectionis in sequentibus, in quibus mira est varietas codicū & corruptio. Primiū ergo lectionem nostram, vt iam recepta ferē est, afferemus: deinde quomodo ex varialibrorum scriptorum collatione cum Grēcis lectio sit corrigenda, ostendemus. Sic ergo ferē omnes iam legunt:

- 18 Sicut ornatus arenosus in pariete limpido, & sicut pali in excelsis, & cémenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt, sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet.
- 19 Sicut cor trepidum in cogitatione stulti, omni tempore nō metuet, sic & qui in præceptis Dei permanet semper.

Hec lectio excutienda est. Et primū quidem notandum quid illa pars; Sicut ornatus arenosus in pariete limpido; apud Grēcos præcedentibus iungitur, vt pertineat ad cor confirmatum, & cogitatum prudens, & significetur, quid quemadmodū arena parieti inducta, parietē & tuetur & ornat: ita prudentia cogitandi atq; deliberandi, animo hominis maximū præstat & munitum & ornamentū. Noster interpres eam partem retulit ad timidum cor stulti, sed in multis scriptis, eisque correctioribus, ea pars postea ponitur, post illud; contra impetū timoris nō resistet; quēadmodum & legitur in Glosa Ordinaria, vt deinde noua sententia sequatur; Sicut ornatus arenosus in pariete limpido; Cui iungitur pro absoluenda sententia; Sic & cor trepidum in cogitatione stulti. Habent enim libri scripti; sic & cor trepidum; non, sicut cor trepidum. Et omnino certum esse puto hanc sententiā ex altera versione huic insertam esse, cùm in sensu eadem sit cū præcedenti. Nam sicut illud; Cor trepidum in cogitatione stulti; idem est cum illo quod præcedit; Cor timidū in cogitatione stulti; ita pro eo quod vñus vertit; Ornatus arenosus in pariete limpido; alter vertit: Cāmēta sine impensa posita. hoc est, cémenta parieti inducta, in quibus sumptui parcitū est, etiā nimis est arenæ, & vel nihil vel parum calcis, quæ non solent diu adhærere. Iam verba illa quæ sequuntur; Omni tempore non metuet; non posse referri ad præcedentia, vt cordi timido tribuantur, quemadmodum ferē intelligitur, patet, quia non conuenit vt cùm mox superiori sententia sit dictū, Cor timidum nō posse resistere contra impetū timoris, hic iam contrarium dicatur, quid omni tempore non metuet, vt omittam ineptā esse comparationem cordis timidi & stulti, cum eo qui permanet semper in mandatis Dei, vt vtrique similiter tribuatur, omni tēpore non metuere.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

Itaque quædam scripta omittunt negationem, non, & habent; omni tempore metuet. Et quod sequitur; Sic & qui in præceptis Dei permanet semper; coniungunt cum sequenti; Pungens oculum, &c. cum quo etiam Rabanus iungit, legens; Sed qui in præceptis Dei permanet semper; non autem: Sic & qui. Tanta est codicum varietas & deprauatio. Plaeraque scripta, & inter ea clarissimè codex Bessarionis, hæc verba; Omni tempore non metuet; separant à corde timido, & coniungunt cum eo quod sequitur de permanente in præceptis Dei. quæ distinctio & lectio optimè se habet, & omnem tollit absurditatem. Itaque tribus sententijs, quarum duæ coincidunt, & vni tantùm sententia in Græcis respondent, totus hic locus sic est legendus, quomodo distinguit, quem dixi, codex Bessarionis.

Sicut pali in excelsis, & cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt: sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet.

Sicut ornatus arenosus in pariete limpido, sic & cor trepidum in cogitatione fatui

Omni tempore non metuet: sic & qui in præceptis Dei permanet semper.

IN prima sententia legendum esse non, ut ferè omnes habent, paleæ, sed vt quidam libri habent, pali, docet dictio Græca χαράκης, quæ significat palos quibus vites alligantur, significat & arundines, vnde quidam vertunt, cannas. Sicut ergo cor iusti in bono firmatum superiori sententia comparavit Sapiens lignis in ædificium bene cōpactis & colligatis: ita nunc cor fatui timidum comparat palis & cannis in sublimi aliquo loco positis & fixis, vbi vim ventorum quæ ibi maior est non ita ferre possunt, sicut fixa in valle vtcunque ferre possunt. Comparat secundò cæmento, cui ad parcendū sumptibus calx non satis est admixta, sed planè est arenosum, quo si quis parietem maximè tersum & politum tegere & ornare velit, mox à pluia vel vento decidet, nec firmiter parieti adhærebit. Ita enim & cor fatui, quod sibi non est bene conscient, & quod in bono firmatum non est, nec habet suarum actionum solidas rationes, mox cùm tempestas aliqua malorum ingruerit, timorem incutiens, non persistit, sed deicxit & turbatur animo, consiliique inops nihil firmum sequitur, sed fluctuat, atque in omnem se mutat occasionem. Sicut ergo se habet ornatus arenosus in pariete limpido, ita se habet cor trepidum in cogitatione stulti. Cuius cōtrarium subiicitur de iusto in vltima sententia, quæ clarior erit si omittatur coniunctio, &, quæ in quibusdam scriptis aberat, vt sit sensus: Omni tempore non sic sicut stultus metuet, qui in præceptis Dei permanet semper, quia per obseruationem mandatorū Dei firmatur & munitur contra omnium malorum timorem. Quod si coniunctionem, &, addere placet, sensus idem erit:

Omni

Omni tempore non metuet sic sicut stultus, etiam ille qui in præcepto-
rum Dei obseruatione semper perficit. Similis est ergo hæc doctrina
superioribus similitudinibus significata ei quam suo sermoni in monte
habito subiecit Dominus, dicens: Omnis ergo qui audit verba mea Matth. 5.
hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam
supra petram, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt
in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.
Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro
stulto, qui ædificat domum suam super arenam, & descendit pluuiam,
& venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam,
& cecidit.

20 Pungens oculum deducit lachrymas, & qui pungit cor, pro-
fert sensum.

NOuum hic orditur Sapiens argumentum, tractans de conseruanda
amicitia, ostendensque quibus rebus illa maximè lædatur. Hac
ergo prima sententia significat, quod quemadmodum is qui oculum
alterius pungit, facit defluere ex illo lachrymas: ita qui pungit amici
cor, iniurijs scilicet & contumelijs velut quibusdam aculeis illud exagi-
tando, efficit ut illud declareret se sentire, & signa doloris ædat, quem-
admodum oculus læsus declarat sensum suum & dolorem lachryma-
rum profusione. Itaque subaudienda est particula similitudinis, ut sit
sensus: Sicut pungens oculū lachrymas deducit, ita qui pungit cor, &c.
Pulchra enim comparatione oculus confertur cordi, quia sicut oculus
membrum tenerrimum facillimè læditur, & læsionem suam mox la-
chrymis testatur: ita & cor hominis, in quo iræ dolorisque sedes est,
facile iniurijs aliorum commouetur, suamque commotionem declarat.
Monere ergo vult, ut caueamus ne mordacitate aliqua verborum aut
contumelijs, cuiusquam animum offendamus, ne illum contra nos
temerè excitemus. Porrò pro, sensum, hic iam non est, σύντοπος, sed
ἀπόθεσις, quod significat id quod propriè Latinis dicitur sensus vel
sensatio.

21 Mittens lapidem in volatilia deiçiet illa, sic & qui conuitiatur
amico, dissoluet amicitiam.

LApidi in volatilia iacto comparat conuitum amico obiectum, quod
per conuitum amicus impetratur, quasi per iactum in se telum aut
lapidem. Sicut ergo, inquit, qui projicit lapidem in aues, deiçit illas è
loco in quo sedent, & auolare eas facit: ita qui conuitio & probro im-
petit amicum, dissoluet amicitiam, eamque instar atium subito auolare
faciet. Quo significat in amicitia maximè cauendum à conuitijs & pro-
bris, ut quæ omnium minimè feruntur ab amicis, quorum est amicum
honore afficere, eiusque probra vel diluere vel tegere. Quàm sit in
amicitia cauendum à probris magis significat, cùm subiicit:

CORN. IANSENII COMMENTARIA

- 22 Ad amicum et si produxeris gladium , non desperes , est enim regressus .
23 Ad amicum si aperueris os triste , non timeas , est enim concordatio .
24 Excepto conuitio & improperio , & superbia , & mysterij revelatione , & plaga dolosa : In his omnibus effugiet amicus .

Quod ad lectionem attinet, notandum, quod quanquam omnes penitentes codices habeant, aperuerit, in tertia persona, legendum tamen esse in secunda persona, aperueris, patet non tantum ex Græcis, sed etiam ex Rabano, qui legit, aperueris, sicut in praecedenti sententia est verbū secundae personæ, produxeris, pro quo etiā quidam codices corruptè habent, produxerit. Itaq; etiam illud, Ad amicum, secundo loco positum, magis iungendum est verbo, aperueris, quam praecedentibus. Significare ergo vult quam amicitiae obsint probra & conuitia in amicū iacta, ut per quae fiat ut minus amicus reconciliari possit, quam si gladio ex subita ira impetratus esset. Ostenditque inter offensiones quæ inter amicos existunt, quasdam esse reconciliabiles, quasdam irreconciliabiles. Reconciliabiles offensiones duplices ponit, quarū una in facto consilit, altera in verbis, stringere scilicet gladium in amicū, & aperire contra illum os triste per verborum amarulentiam, quia utrumque horum contingit per subitam iram, & impræmeditatam animi festinationem: ideoque offensione hinc nata non est desperandum de reconciliatione, nec metuendum ne non possit amicitia recuperari, sed sperandum quod ad eam regressus futurus sit, & obtineri dissidentium concordatio & reconciliatio. Concordatio, enim legendum est, non recordatio, ut quidam libri male habent, cum Græcis sit *sic etiam*. Ponit autem quatuor vel quinque, quæ dicta vel facta, omnem in gratiam aditum præcludunt, & irreconciliabilem pariunt offensionem. Quorum primum, est conuitium vel improperium. nam pro his duobus unum tantum est Græcis: quanquam sic distingui possint, ut conuitium, sit probri alicuius obiectio: improperium, beneficij collati exprobratio. Nam haec duo vehementer laedunt amicitiam, & maximè conuitium, quia amici est amicum honorare, ut dictum est. Secundum, est superbia, per quam hic significatur elatio animi amicū præ se despiciens, quæ etiam directè amicitiae repugnat, quæ æqualitatem quasdam amicorum expostulat. Tertium, est mysterij, hoc est, secreti quod amicus amico cōmisit, reuelatio. & quartum, plaga dolosa, hoc est, iniuria insidiosè fraudulenterq; illata. Quæ quatuor in amicitia ita sunt odiosa, ut cum fiunt aut dicuntur, amicos sine reconciliationis spe alienare soleat. Vnde dicit: In his omnibus, hoc est, per haec effugiet amicus, hoc est, omnino alienabitur, ut in plurimū scilicet, & ex natura illarū iniuriarum.

- 25 Fidem posside cum proximo in paupertate illius , ut & in bonis illius latēris.

In tem-

26 In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, vt & in hæreditate illius cohæres sis.

Monet fidem possidere, hoc est, fidelitatem seruare cum proximo in aduersis ipsius. Sic enim futurū, vt aliquando etiam felicitatis eius quis particeps fiat. Siquidem amicitia omnia facit cōmunia. Vnde Dominus Apostolis dixit: Vos estis qui permanistis mecum in tribulationibus meis: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, Matth. 5. vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

27 Ante ignem, camini vapor & fumus ignis inaltatur, sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliae, & rixæ.

Monere vult hac sententia studiosè fugiendas esse acerbas & male-dicas verborū contentiones & conuitia, quod hæc sequi soleat sanguinis effusio & cædes, sicut fumū sequitur flamma ignis, omnia deuorans & consumens. Consequuntur enim res suas causas, ex quibus rhetores conjecturas suas confirmare solent, atque ita concludere: Iurgatus est cum illo, ergo & occidit: sicut ex egresso fumo per caminum, colligitur secuturam ignis flammam. Quod enim dicitur hic, ante ignē, intel-ligendum est, anteflammā ignis cōburentem. Pulchrè autem fumus cō-utijs, ignis verò cædibus cōparatur, quod conuitia ex animo irato velut fumus egrediantur, nec in seipsis quidē necdum lædant, sicut fumus non adurit, sed tamen post ea cædes sequantur, cùm animi hinc inde sint inflammati, quæ velut ignis homines grauiter lædunt & perimunt.

28 Amicum salutare non confundar, & à facie illius non me abscondam.

29 Et si mala mihi euenerint per illum, sustinebo: omnis qui audiit, cauebit se ab eo.

Varia in his sententijs est lectio. Nā multi legunt in secunda persona, non confundaris; vnde etiam quidam libri in sequentibus habent per secundam personam; non te abscondas. Et si mala tibi euenerint per illum, sustine. Sic enim præter alios habuit codex Beſſarionis. Alij sicut per primam personam habent, non abscondam & sustinebo: ita etiam habent, non confundar, quomodo etiam Rabanus legit, atque hanc esse veram lectionem Græca docent, quæ vbiique habent primam personam. Et Ambrosius quoque lib. 2. Offic. cap. 7. legit: Amicum salutare non erubescam. Videri autem posset interpretem vertisse non, salutare, sed, saluare, quia Græcis est σωτήρ, hoc est, tegere & tueri: verū cùm omnes libri constanter habeant, salutare, verisimile magis est interpretem legisse σωτήρ. Illud enim vertere solet, salutare, vt ibi: Et si salutaueritis fratres vestros tantum, &c. Sensus ergo est: Etiamsi contingat amicum esse me inferiorem, aut aduersam aliquam incidere Matth. 5. fortunam, ego tamen per superbiam non verecundabo ipsum salutare atque

CORN. IANSENII COMMENTARIA

atque complecti, aut protegere atque tueri, nec tunc à facie illius me abscondam, vt solent facere amici facti, sed fidum me illi in aduersitatibus exhibeo, honorando illum & consolando, atque ab aliorum injurijs defendendo. Quod si contingat mihi per illius ingratitudinem vt mala mihi bene de illo merito proueniāt ab ipso, ego quidem patienter sustinebo, aut mala illa ferre cogar: at omnis qui audiet enarrari illius ingratitudinem, meo exemplo edocēs cauebit se ab eo, nec cum illo familiaritatem & amicitiam inire volet, vt qui in bene de se meritum tam ingratus reperiatur. Itaque his sententijs se proponens in exemplum indicat quid fieri debeat in amicitia, & quid non debeat fieri. Porro verbum, sustinebo, in Græcis non est, quæ tantum habent; Etsi mala mihi euenerint per illum, omnis qui audiet, &c.

30. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum?

31. Ut non cadam in ipsis, & lingua mea perdat me?

Q Vandoquidem ostendit conuitia amicitiae admodum esse noxia, & contingere aliquando vt mala irrogentur ab amicis quæ ad male-dicendum vicissim prouocent, sciens facilem esse linguæ lapsum, optat sibi donum continentis linguae, quo ita os eius custodiatur, & labia eius quasi apposito sigillo consignentur, ne per ea labia in aliquam perniciem aut peccatum prolabatur, ipsaque lingua perditionis eius sit occasio. Quod enim dicit; Quis dabit; phras̄ Hebraica est optantis, valetque ac si dicatur: O utinam mihi aliquis det; videturque allusione ad illud Psalmi: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Quare mox desiderium moderationis linguæ, in capite sequenti commutat in precationem sermone ad Deum conuerlo, quem

Psal. 140. nouit temperantis linguæ authorem, iuxta illud Proverb. Hominis est animum preparare, Domini autem gubernare linguam. Itaque ab hac potius sententia sequens caput auspicandum erat. Citat hunc locum D. Augustinus lib. de gratia & liber. arbit. cap. 16. & legit, signaculum astutum, quia Græcis est παρεπιδημία, quod astutum magis significat quam certum. Vnde signaculum certum intelligendum est signaculum prudens, quod certis solidisque nititur rationibus. Adducit autem hunc locum, vt ex orationibus, quæ hic funduntur à Sapiente contra vitium linguæ, ostendat illum insinuasse necessitatem gratiæ Dei, sicut idem significauit libertatem nostri arbitrij,

cum supra dixit: Si volueris, conseruabis mandata.

CAPUT